

possunt ad grangias seu villas sui conventus, ex 3 part. statutorum antiquorum, § 11. Potest etiam in hac clausura considerari, quod fere majori parte temporis debent juxta constitutiones suas intra cellam manere: possunt tamen intra suam clausuram statutis temporibus exire; extra clausuram autem et intra terminos sui eremi egrediuntur semel aut bis in hebdomada, non tamen privatim, sed communiter cum conventu, animi relaxandi gratia, cum mensura tamen, et religioso modo in suis constitutionibus præfixo. Unde constat ordinem hunc perfectam satis et rigorosam clausuram servare. Existimoque ratione illius obtinuisse religionem hanc inter alias prærogativam, ut ab omnibus aliis transitus ad illam liceat jure communi, in extravag. *Viam ambitiosæ*, de Regular., et fere juxta omnia privilegia religionum; nam hoc factum videtur propter majorem securitatem, quæ, moraliter loquendo, et quantum humano modo judicari potest, major est, ubi tanta clausura et separatio a conversatione secularium servatur; præsertim cum conjuncta sit cum tanta vitæ austeritate, et jugi divinarum rerum contemplatione. Quæ omnia sunt etiam aptissima media ad magnam perfectionem consequendam.

7. *Qui putent ex vi juris communis licere etiam transitum a Carthusia ad aliquam religionem.* — Aliqui vero contendunt licitum esse, quantum est ex vi juris communis, transitum a Carthusiensi ad aliquem alium ordinem, ut jam in præcedenti tractatu, lib 3, c. 9, a numero decimo quarto, attingi. Ita censent religiosi Prædicatores in suis constitutionibus, dist. 1, c. 13, § 4, cum declaratione; et Sylvester, verb. *Religio*, 4, q. 6, refert fuisse Parisiis declaratum, et Navar., cons. 68, de Regularib., juxta primam impressionem, quæstionem movens de transitu Carthusiani ad Minores, dicit, in foro conscientie posse fieri, si bona intentione, sine scandalo, cum debitis circumstantiis fiat. Quia, licet jus concedat transitum a mendicantibus ad Carthusianos, non tamen prohibet e converso transitum Carthusiani ad mendicantes; et alioquin dictæ religiones mendicantes reputantur a suis professoribus, et strictiores, et perfectiores aliis, etiam Carthusia, ut de sua expresse dicunt Prædicatores in citato loco suarum Constitutionum, et de sua sensit S. Bonaventura, in Quæstionibus circa suam regulam, q. 13, et late Corduba, super regulam S. Francisci, c. 2, q. 17; et senserunt aliqui canonistæ, ut

intelligi potest ex Joanne Andrea, et Panormitano, in cap. *Non est*, de Regular.

8. *Auctoris judicium.* — Sed ego in hoc opere decrevi religiones inter se non comparare, sed omnes venerari, et singulis tribuere quod jure illis concessum est. Ordini ergo Carthusiæ hoc concessum invenio, ut ad ipsam liceat transire a mendicantibus. Quod autem ab ipsa ad mendicantes liceat transitus, scriptum non invenio in jure, neque in aliquo privilegio specialiter concessio. Dare autem hanc licentiam per illam generalem regulam juris, quod *transitus ad arctiorem religionem est licitus*, non videtur mihi tutum, quia jus concedens transitum ad Carthusiam videtur supponere illam esse arctiorem, vel saltem æqualem in arctitudine, et securiorem; tunc etiam quia si transire ad Carthusiam non est retro respicere, ut etiam supponit illud jus, ergo transire a Carthusia ad alias, vel est retrocedere, vel certe non est ulterius progredi; ergo non licet sine speciali concessione. Tum etiam quia videtur nimis ausus hanc licentiam dare propter solum privatam judicium de excellentia alterius religionis, præsertim in causa propria. Unde Navarrus, dict. Comment. 3, de Regular., num. 32, concludit a Carthusia ad nullam aliam religionem transiri; et Major, in 4, d. 38, q. 13, dixit, nullam inter religiones omnes Carthusiam in bonitate et securitate excedere; quam assertionem prosequitur et declarat late, et cum non positive, sed negative comparationem faciat, tolerari potest. Navarrus vero, cons. 10, de Regular., in prima impressione, absolute ait Carthusianos notabiliter esse austeriores mendicantibus, etiam Minimis, quos cæteris in austeritate præfert. Quæ comparationes verum habent quoad aliquas austeritates exteriores, simpliciter autem privatam judicium dare difficile est.

9. *De approbatione hujus religionis.* — *Quid de viris in hac religione insignibus.* — Ultimo ex dictis constat, satis multumque esse religionem hanc ab Ecclesia approbatam; quando vero hæc approbatio cœperit, interrogari potest. Refert enim Gerson, part. 2, alphab. 39, lit. D, quosdam objecisse ordini Carthusiensium, quod confirmatus non esset; ad quam ipse respondet, primum fuisse approbatam more antiquarum religionum, quia per centum triginta annos antecessit religiones mendicantium, et consequenter etiam præcessit illi juri canonico, quod specialem approbationem scriptam requirit; quare ipso

usu, et sanctitatis exemplo, et generali Ecclesiæ acceptatione approbata est. Advertit autem Surius, in vita S. Brunonis, Apostolicam Sedem statim ab initio eam complexam fuisse, Brunonemque cum primum monasterium Carthusiæ fundasset, vocatum fuisse ab Urbano II, Pontifice Maximo; et cum illum apud se retinere voluisset Pontifex, scripsisse eundem Pontificem in favorem monachorum Carthusiæ, ut eis eremus illa concederetur, ut in ea secum vitæ institutum prosequerentur. *Et hæc* (inquit) *fuerunt primæ litteræ Romani Pontificis de Carthusiano instituto, quæ magno sunt documento, ab ipsis Carthusianæ religionis initiis eam a Sede Apostolica approbatam esse.* Deinde vero multis aliis privilegiis, ac denique in citato decreto sæpius confirmata est. Referunt denique Gerson et Major, non defuisse qui perfectionem hujus ordinis diminuere voluerint, eo quod nec plures habeat Sanctos canonizatos, nec multis miraculis fulgeant: quibus ipsi late respondent, hæc signa non esse necessaria ad perfectionem, et optimum ac sufficiens esse exemplum perfectæ sanctitatis, præsertim cum perseverantia tot annorum, in quibus rigor primus illius religionis fere in nullo diminutus est.

V.

AN REGULA S. HIERONYMI, AUT ALIA MONACHALIS, SUB REGULA AUGUSTINI MILITET?

1. *De eremitis una ex religionibus mendicantibus hic non agitur.* — Præter religiones monachales, de quibus hæcenus diximus, sunt aliquæ nunc in Ecclesia, quæ, licet profiteantur regulam Augustini, quæ antiquior est quam regula Benedicti, nihilominus recentiores sunt; nunc enim non agimus de religione eremitarum S. Augustini, quam non inter monachales, sed inter mendicantes ponimus. Antiqui autem monachi seu eremite S. Augustini non retinent nunc eundem statum, et vivendi modum, quem primitus habuerunt, sed vel ad mendicantium statum, qui longe post Augustinum institutus est in Ecclesia, translati fuere, de quo postea in c. 9 videbimus, vel adjunctis propriis observantiis et constitutionibus, in novos monachales ordines transierunt.

2. *Grandimontensis ordinis fundator.* — In his ergo imprimis numerari potest ordo ap-

pellatus *Grandimontensium*, qui circa annum Domini 1080, a quodam Stephano Albanensi, viro religioso, inchoatus est. Et quidam referunt¹ eum inchoasse sub regula S. Benedicti; alii dicunt militare sub regula S. Augustini. Mihi de eorum instituto non satis constat, neutrum enim ex dictis declarant antiquiores historiographi, ut videre licet in Vincentio, lib. 25, c. 46; et Antonino, 2 p., tit. 15, c. 21, qui aiunt Stephanum, peragratis multis eremis, et de Canonicorum, et monachorum, et Eremitarum vita, quæ imitanda sunt, memorie commendans, in Aquitania, prope Lemovicas, ad montem nemorosum, qui Muretum dicitur, primum monasterium sui ordinis ædificasse. Unde potius significat nullam specialem regulam assumpsisse, sed ex omnibus, quæ viderat et expertus fuerat, suum peculiarem vivendi modum instituisse. Unum vero referunt in illo viro specialiter notandum, scilicet, cum Muretum solus pervenisset in locum solitarium, et contemplationi aptissimum, ibi se Deo servitutum omni tempore spondidisse, et cum quodam annulo (ait Antoninus), quem de omni substantia mundi tantum habebat, semetipsum castissimum virginem desponsavit, dicens: *Ego Stephanus diabolo abrenuntio, et omnibus pompis ejus, et offero me, ac reddo Deo Patri, Filio, et Spiritui Sancto; scribensque professionem suam, posuit super caput suum, fundens orationem ad Jesum Dominum, et matrem ejus Virginem.* Qui professionis modus novus est, et singulari Spiritus Sancti instinctui attribui potest; tamen in rigore illa professio nec fuit qualis nunc est per vota solemnia, neque constituere verum religiosum, cum vota paupertatis et obedientie non haberet.

3. *Quando cœperit hic ordo esse proprie religio.* — Postea vero, cum divulgata ejus fama multi discipuli ad illum congregati fuissent, religiosum monasterium fundatum est, ac tandem annuente etiam Summo Pontifice, tacite vel expresse, propria et perfecta religio esse cœpit. Accidit autem ut post mortem Stephani, fratres S. Augustini litem moverent monachis S. Stephani, contententes locum illum Mureti ad jus suum pertinere. Illi autem remedium a Deo postulantes, et in Missa humiliter Deo supplicantes, vocem hanc audierunt, *In Grandi monte, in Grandi monte,*

¹ Azor, tom. 1, lib. 12, c. 21; Hieronym. Roman., p. 1, libr. 6 de Repub. Christiana, c. 9.

et ita in locum illum, et monasterium totum, et corpus fundatoris transtulerunt.

4. *Non videtur institutus sub regula S. Augustini.* — Ex qua historia, quæ communis est, duo colliguntur: unum est, unde sit hic ordo Grandimontensis vocatus; aliud est, non esse admodum verisimile, Stephanum fuisse monachum S. Augustini in aliquo conventu, qui antea fundatus esset in loco illo Mureti, quia nulla mentio talis conventus est in historiis, sed solum de lite mota a fratribus Augustinianis, qui fortasse in aliquo vicino monasterio vivebant, et jus aliquod in solum illud, quamvis sylvestre et desertum prætendebant, præterquam quod id repugnat modo professionis superius relatæ. Unde etiam non est verisimile sub regula S. Augustini hunc ordinem fuisse fundatum, alioqui in illo principio potius habitus fuisset ut reformatio ejusdem ordinis, quam ut ordo diversus, neque esset tanta occasio contentionis, præsertim si reformatio ex eisdem fratribus facta fuisset, ut Fr. Hieronymus Romanus vult.

5. *Nec sub regula S. Benedicti, sed denuo instar Carthusiæ.* — Neque etiam invenio fundamentum ad asserendum, institutum esse sub regula S. Benedicti, vel sub aliqua alia antiquiori; sed verisimile est, sicut religio Carthusianorum cum propriis statutis absque alia regula eodem fere tempore fundata est, ita et hunc ordinem invenisse proprium vivendi modum. Qualis autem hic fuerit, in particulari nobis non constat, sed solum esse ordinem monasticum, contemplationi et psalmodiæ deditum, cum magna solitudine et austeritate corporali, cum magnis jejuniis, etiam in pane et aqua¹. Et de fundatore specialiter refertur, quod incedebat indutus lorica ferrea contra carnis tentamenta: quem morem in totum ordinem introductum esse quidam aiunt². Refert item Platina, in Joanne XXIII, alias XXII, Pontificem illum, ordinem hunc aliquantulum jam labefactum instaurasse, et additis quibusdam institutionibus in meliorem formam redegissee. Hujus vero ordinis nulla habemus in Hispania monasteria; an vero in Gallia duret, vel in alias provincias propagatus fuerit, incertum habeo.

6. *De ordine Præmonstratensium, ex regula*

¹ Vide Volaterr., lib. 21; et Polydor. Virgil., lib. 7, c. 2.

² Vide Cassaneum in catalog. gloriarum mundi.

S. Augustini descendente: — Secundo loco possumus in hoc ordine ponere ordinem Præmonstratensium, nam illum monachalem vitam nunc profiteri, et habitum portare manifestum est, et regulam S. Augustini profiteri. Cœpit autem hic ordo anno 1120, quamvis in hoc nonnulla sit differentia inter auctores, ex quibus quidam aiunt fuisse approbatum a Paschali II, alii a Gelasio II, alii vero ab Innocentio II. Primum autem hujus religionis fundatorem omnes referunt fuisse Nortbertum, virum nobilem, Lotharingia oriundum, qui, factus presbyter, et habitu paupertatis assumpto, ac nudis pedibus incedens, prædicare cœpit verbum Dei, et a Gelasio Papa II licentiam et auctoritatem illud munus præstandi obtinuit. Postea vero Calixtus Papa eum Lugdunensi Archiepiscopo commendavit, cujus auctoritate in quodam loco Præmonstratum dicto vitam solitariam agere cœpit, et postea tredecim socios congregavit, et cum eis secundum canonicam institutionis normam, et regulam S. Augustini, religiosam congregationem inchoavit; postea vero quadraginta clericos cum multis laicis secum jam habens, professionem omnes fecerunt juxta institutionem Apostolicam, et regulam B. Augustini, et ad voluntariam paupertatem cæterasque religionis observantias eos instituit; et adeo sancte vixit, ut intra breve tempus in longinquas regiones Angliæ, Hispaniæ, Burgundiæ, propagata fuerit ejus religio. Quæ omnia sumpta sunt ex his, quæ referunt Surius, die 6 Junii; et Antonin., 3 p., tit. 15, cap. 19, et tit. 17, c. 1, § 3; Vincentius, et alii. Ex quibus videtur colligi ordinem hunc in principio fuisse Canonicorum regularium reformatorem, quamvis non constet an in principio usi fuerint hi religiosi communi habitu Canonicorum regularium, vel aliquo proprio habitu monachali. Nunc vero hujusmodi habitum deferunt, præsertim in Hispania; in aliis vero provinciis Canonicorum rochetum, seu lineam vestem albam deferre dicuntur, quia juxta sua statuta possunt in hoc consuetudini uniuscujusque regionis sese accommodare. In reliquis nihil habet speciale hæc religio; nam ex instituto contemplativa est; nullam vero specialem austeritatem profitetur, sed constitutiones habere dicitur ordini Canonicorum regularium accommodatas, seu similes.

7. *Ordo nuncupatus S. Hieronymi ab Augustini regula derivatus.* — Tertio ac præcipue possumus hoc loco numerare ordinem

Eremitarum S. Hieronymi, sub quo patrono, tam in Hispania, quam in Italia, ordo monachalis invenitur, non tamen constituunt unum corpus religionis, neque secundum eandem regulam profitentur, quamvis ex eadem radice prodiisse videantur. Cœpit ergo hæc religio in Hispania, in eo loco in quo nunc situm est monasterium S. Bartholomæi, quod ab oppido vicino de Lupiana dicitur. Circa annum enim Domini 4370, nonnulli viri eremiticam et austeram vitam agentes ibi congregari cœperunt, cumque et numero et vitæ sanctitate auferentur, tandem religionem fundare decreverunt, ad quod obtinendum, præcipuum quemdam ex sua Societate virum, fratrem Petrum Fernandez appellatum, Romam miserunt, qui a Gregorio XI confirmationem obtinuit, et simul cum socio in manibus Pontificis professionem emisit, et in Hispaniam rediens aliorum fratrum professionem recepit, et propterea nonnulli hunc Petrum Ferdinandum hujus ordinis fundatorem vocant. Nam, licet *D. Hieronymi* appelletur, certum est non fuisse ab illo fundatum, quia fere per mille annos Hieronymus præcessit, quibus omnibus non legimus fuisse in Ecclesia aliquem ordinem S. Hieronymi nuncupatum.

8. *Cur S. Hieronymi vocetur, quorundam ratio. — Refelluntur.* — Cur autem hic ordo Hieronymum patronum habeat, et non potius Augustinum, interrogari potest, quia ab Augustino habet regulam quam a Gregorio XI accepit, ut secundum eam religiosi profiterentur, ab Hieronymo autem nihil peculiare habere videtur. Dicunt aliqui, Hieronymum hunc ordinem, vel omnino similem, Bethleem fundasse, et aliquo tempore conservatum esse, postea vero interiisse, et ab his religiosis excitatum esse; et ideo Hieronymum tanquam fundatorem recognoscere. Verumtamen, quamvis ex ipso Hieronymo nobis constet et monachum fuisse, et monasterium ædificasse prope Bethleem, ut ipse refert in ep. 26 ad Pammachium, circa finem: *Nos (inquit) in ista provincia exædificato monasterio, tantis de toto orbe confluentibus obruimur multitudine monachorum, ut nec ceptum opus deserere, nec supra vires ferre valeamus.* Et in ep. 27, quæ est epitaphium Paulæ, mentionem facit monasterii virorum, quod ibi ejus sumptibus sustentabatur, præter tria monasteria virginum. De cellula etiam in qua manebat in Bethleem, mentionem facit epist. 64, et in lib. de Nominib. Hebraicis, et multis aliis in locis ostendit semper monasticam et

eremiticam vitam affectasse, præsertim ep. 4. Quod vero peculiare institutum religiosum instituerit, aut quod regulam aliquam religiosam, vel peculiarem habitum ordinaverit, vel quod post mortem suam pro aliquo tempore habuerit proprios aliquos sui instituti imitatores, sub ejus titulo seu ducatu, affirmari non potest, quia nullum habet in antiquitate fundamentum.

9. *Aliorum placitum etiam rejicitur, et verisimilius judicatur.* — Alii vero dixerunt, D. Hieronymum apparuisse primis eremitis hujus ordinis in eo habitu quem nunc ipsi gestant, et inde et nomen et habitum accepisse. Sed in nulla historia fide digna hanc revelationem invenio, ut factam esse affirmare possim, quamvis non negem accidere potuisse. Probabilius ergo est, illos primos fundatores ex peculiari affectu et devotione ad D. Hieronymum, illum in patronum accepisse, et quia maxime studuerunt imitari monachalem et solitariam vitam, quam ipse exemplo et scriptis plurimum commendavit.

10. *De ejus inceptione variis in provinciis.* — Hinc factum est, ut aliquo tempore post institutionem hujus ordinis in Hispania, nonnulla mutatio circa ejus regulam intentata fuerit. Nam tempore Martini V, religiosus quidam ejusdem ordinis, quem aliqui Petrum de Olmedo vocant, regulam monachorum composuit, vel potius ex scriptis Hieronymi concinnavit, ut qui ejus ferebant nomen, illam profiterentur. Quæ regula in 9 tomo operum Hieronymi habetur; auctorem autem ejus Lupum de Oliveto nominat ibi Marianus Victor, et ibidem refertur approbatum Martini V. Congregatio autem hujus ordinis in Hispania noluit eam mutationem admittere, sed primam institutionem ac regulam retinuit. Ea vero occasione ortus est in Italia similis ordo D. Hieronymi, industria et auctoritate prædicti Petri, seu Lupi, aut fortasse Petri Lupi, qui sub regula a se collecta, et a Martino V approbata, monasteria cœpit ædificare in Italia, quæ postea multiplicata fuerunt. Et licet aliquando intentatum fuerit congregationem Hispaniæ et Italiæ in unam cogere sub uno Generali, nunquam tamen obtentum est, et ita relictæ sunt tanquam religiones distinctæ; ambæ vero monachales sunt, multumque similes in instituto, et in habitu, nonnihil tamen differunt, sed præsertim in regula. Secus vero accidit in Castella et Lusitania; hæc enim religio eodem tempore, quo in Castella orta est, cœpit etiam

in Lusitania habere monasteria, opera cujusdam religiosi, quem virum sanctum fuisse, et Franciscum Vascom fuisse appellatum, historiæ referunt. An vero ille fuerit socius aut discipulus Petri Fernandez, et aliorum eremitarum S. Bartholomæi, necne; item an in principio monasteria Lusitanæ et Castellæ habuerint inter se unionem et subordinationem, mihi non constat. Solum est certum eandem regulam Augustini, eundemque finem ac vitæ modum, et sub eodem inter se habitu professam semper fuisse. Et ita, licet antea diversas congregationes sub distinctis Generalibus constituerent, facile potuisse postea in eandem coalescere, et unum communem Generalem eligere, ut nunc faciunt.

11. *De ejusdem instituto et observantia.* — De toto ergo hoc ordine, certum est unum esse ex præcipuis monachalibus, qui contemplativam vitam principaliter profitetur, maximeque excellit in cura divini cultus et cæremoniæ ecclesiasticarum, et in choro et psalmodia, cum magna quiete, ac devotione, ac temporis diurnitate. Est etiam valde observans in clausura, et silentio, et in victu et vestitu sufficientem observat non solum religiosam modestiam ac mediocritatem, sed etiam austeritatem. De quibus rebus omnibus præter Augustini regulam, habet proprias constitutiones suo instituto optimas, et accommodatissimas, in quarum observatione peculiarem curam et rigorem profitentur. Et hinc fit, ut hæc religio in sua prima institutione et observantia fere semper duraverit, habueritque multos viros religione insignes. Gaudet etiam multis privilegiis Pontificiis vel propriis, vel per aliorum communicationem. Circa quæ omnia nihil occurrit peculiarem habens dubitationem, aut declarationem postulans.

12. *Qui sint alii ordines ejusdem nominis S. Hieronymi, sed tamen diversi.* — Solum superest annotandum, præter hunc ordinem S. Hieronymi, quem suo modo per Italiam diffusum esse diximus, esse alios in eadem Italia, qui ejusdem nominis S. Hieronymi nuncupantur. Unus dicitur *Jesuatorum S. Hieronymi*, a Joanne Columbino Senensi fundatus, et ab Urbano V, Pontifice Maxime, anno 1467 approbatus fuit. In multis autem differunt hi religiosi a nostris Hieronymianis. Primo, in regula, nam, licet in principio receperint regulam Augustini, postea dicuntur accepisse propriam a quodam suo religioso,

Episcopo electo, cum approbatione Pontificis. Secundo, in habitu, nam utuntur caputo quadrato a cervice ad humeros dejecto, et pallio canusino; tertio, maxime distant in vitæ instituto, quia sacris non initiantur; unde nec chorum, nec alia sacra ministeria profitentur, sed aliis precibus more laicorum, Orationem Dominicam, et Angelicam recitando occupantur, et more antiquorum monachorum manibus laborant, et inde sustentantur. Unde constat hujusmodi religionem proprie monachalem esse, et in ea vestigia quædam antiquitatis conservari, quod Ecclesiæ Christi valde utile est. Pius autem V, ut supra, lib. 4, c. 8, dixi, inter mendicantes etiam numerari voluit, quia non repugnat monachalem ordinem esse mendicantem, quoad paupertatem et privilegia. Aliæ vero duæ congregationes, quæ sub nomine Hieronymi in Italia militant, ad hunc locum non spectant. Nam una earum quæ dicitur Petri Pisani, ex institutione sua non est vera religio; quia nec vota substantialia in ea fiebant, nec regula aliqua approbata servabatur. Aliqui tamen referunt Pium V fecisse, ut sub regula Augustini omnes hujus instituti professores tria vota emitterent. Alii dicunt Pium V hoc intentasse, sed, morte præventum, non potuisse perficere¹. Altera vero familia, quæ vocatur S. Hieronymi in Fesulanis, licet dicatur esse religio approbata a Gregorio XII, magis tamen accedit ad religiones mendicantes, quam monachales, ut intelligi potest ex Paulo Morigia, in sua historia religionum.

CAPUT VI.

UTRUM RELIGIO PRÆDICATORUM UNA SIT EX MENDICANTIBUS, QUAMQUE ORIGINEM ET INSTITUTIONEM HABUERIT?

1. *Ordo servandus circa religiones mendicantes.* — Post religiones monachales dicendum sequitur de mendicantibus, quæ post illas inceperunt; et licet in multis cum illis conveniant, ab eis differunt, ut diximus, tam in fine, quam (quod consequens est) in multis observantiis, et conversatione vitæ: multumque participant de clericorum statu ac ministeriis; et ideo veluti mixtæ et mediæ inter monachales et clericales religiones censeri pos-

¹ Azor., lib. 3, cap. 11; Hier. Rom., lib. 6 de Repub. Christiana, c. 22.

sunt. Incipimus autem a religione Prædicatorum, non quia instituamus dignitate vel antiquitate eam aliis præferre (has enim comparationes omnino in hoc opere vitamus, quia non sumus inter eas judices constituti), sed quia in jure hoc ordine ponuntur: *Prædicatorum, Minorum, Augustini, et Carmelitarum*, c. unico, § *Sane*, de Relig. domib., in 6; et in Motu proprio Pii V, edito anno 1567, qui incipit *Romanus Pontifex, tam universalis*, etc.; et rursus altero incipiente *Apostolica Sedis benignitas*. Hunc ergo juris ordinem sequemur, quia hoc etiam juri magis consentaneum est, ut notavit Glossa, in c. *Cum dilecta*, verb. *Transponentes*, de Rescriptis; Felin., in rubric. de Majorit. et obed., n. 5 et 6. Cur autem jura hunc ordinem servaverint in his religionibus numerandis, statim in n. 3 attingemus.

2. *De fundatore religionis Prædicatorum.* — Hæc igitur sacra religio auctorem habuit magnam Ecclesiæ propugnatorem, S. Dominicum, cujus vita et sanctitas potissima est, et gravissimis viris late conscripta. Inter alia vero videri possunt præclaræ hujus viri sanctissimi prærogativæ in ejus ordinis constitutionibus, d. 1, c. 15, lit. E, in Declarationibus. Initium autem ejus fuit tempore Innocentii III, et Concilii Lateranensis sub illo celebrati, anno Domini 1245, ad quod B. Dominicus cum Episcopo Tolosano accessit, ut cum Summo Pontifice sui instituti rationem communicaret, ejusque approbationem et confirmationem ab eo obtineret. Pontifex autem, quamvis de Dominico summam opinionem haberet, ejusque cogitationes, ac desideria valde probaret, quia tamen res nova videbatur et difficilis, maturius de illa deliberandum censuit; remisitque S. Dominicum, ut cum sociis suis aliquam ex regulis approbatis eligerent, ad quam suum institutum, et vitæ rationem accommodaret; atque ita benedictionem suam et approbationem postea obtineret. Quod vir sanctus intra breve tempus perfecit, et regulam D. Augustini elegit cum Consensu sociorum: quibus etiam (ut historiæ¹) tunc placuit adjungere constitutiones aliquas ex Præmonstratensi ordine desumptas, quæ maxime ad rigorem vitæ, et observantiam religiosam pertinebant. Qua deliberatione ac institutione facta, Dominicus Romam rediit, de promissione Pontificis certus, ut confirmationem ejus obtineret. Invenit au-

tem Innocentium jam defunctum, et Honorium III in Sede constitutum, apud quem non minorem gratiam invenit, statimque sui desiderii complementum accepit.

3. *Ejus approbatio inter primas solemnes.* — Atque ita ejus ordo approbatus fuit ab Honorio, in initio Pontificatus sui, anno Domini 1216, solemniter, et litteris expeditis in hæc verba: *Honorius Episcopus, etc. Nos attendentes fratres ordinis tui futuros pugiles fidei, et vera mundi lumina, confirmamus ordinem tuum cum omnibus castris et possessionibus habitis, et habendis, et ipsum ordinem, ejusque possessiones, et jura sub nostra gubernatione et protectione suscipimus.* Unde hoc videtur esse unum ex propriis privilegiis hujus religionis, quod prima fuerit inter religiones omnes, quæ similem approbationem solemnem, et authentice scriptam statim in ortu suo obtinuerit, ut affirmat Pius V, suo Motu proprio 69, *Divina disponente*, dicens, sacrum ordinem Prædicatorum inter mendicantes ordines primo fuisse ab Ecclesia approbatum et confirmatum. Ante Concilium enim Lateranense non erat adeo usitatum in Ecclesia similem approbationem expectare, ut in superioribus vidimus; sed necessitas ejus ab eodem tempore Innocentii III, et in eodem Concilio Lateranensi indicta est, et præceptum latum, ne quis deinceps novam religionem inveniret, cap. ult., de Religios. domib., scilicet absque speciali et expressa Summi Pontificis approbatione. Et quamvis ante illud Concilium B. Dominicus et Franciscus de suis religionibus instituendis tractarent, tamen, eodem spiritu moti, et quia fortasse jam tunc religiones non ita approbatæ minus bene audiebant, uterque ad Innocentium III pro hujusmodi confirmatione obtinenda accessit; sed antecessit Franciscus, quia, licet esset religione et ætate junior, patria erat propinquior, ut Antoninus notavit, 3 p., tit. 23, c. 1. Prius ergo approbationem obtinuit, sed solo vivæ vocis oraculo; nam approbationem solemnem habuit multo post ab Honorio III, anno 8 sui Pontificatus, et 1223 Incarnationis Dominicæ. Ob hanc ergo causam dicitur ordo Prædicatorum primo approbatus et confirmatus; tali scilicet modo, et ritu solemniter. Atque ratione hujus solemniter approbationis verificantur, quæ de prioritatem temporis ordinis Prædicatorum afferuntur in ejus Constitutionibus, d. 1, cap. 15, lit. I, in declarationibus.

¹ *Dicta Prædicatorum religio est perfecta, etiam quoad formam vitæ, ex activa, et con-*

¹ Castillo, lib. 4, c. 47.